15/3

Acc. d. XIII. Octob. 1756. 1

ILLUSTRISSIME COMES

Cum ILLUSTRISSIMI TUI NOMINIS et Academiae quam EXCELLENTISSIMO TUO PRAESIDIO ornas et amabili cura foves ac tueris saluberrimisque et prudentissimis consiliis regis, Auctoritas ac Gloria tanta atque per universum literatum politumque terrarum orbem adeo celebrata, ut, si principibus viris placuisse vel non esset praecipua laus, uti vere est, eo tamen, quo TUA AUCTORITATE, ILLUSTRISSIME COMES, me condecoravit Illustris Academia Petropolitana, beneficio maius

1v

literatoque homini honorificentius ne cogitando quidem fingi queat; laetissima toties permulceor voluptate, quoties Scriptionem a tenuitate mea profectam tantis viris probatam eſſe tota mente repeto. Ac profecto si ingenii mei tenuitas tam amplo praemio atque honore ac Personis praecipue in summo Celsitudinis fastigio collocatis dignas gratias agere sineret, isto animi mei gaudio vix concipi maius poſſet, desiderari ne vix quidem. Eas vero gratias agi a me poſſe quoniam omnis praecisa spes est, dolor quidam animum meum laetitia exsultantem eo magis deprimit, quo cupio ardentius, qui TIBI, ILLUSTRISSIME COMES, et gratum me praebere et gratus videri poſſim. Interea tamen ille animi mei dolor non parum lenitur spe, fore, ut CLEMENTIA TUA, MAECENAS OPTUME, me ferat utcunque balbutientem:

ELISABETAE AUGUSTAE, munificentia vere Regia donantis, MAIESTATI humillima gratiarum actione supplicor, pro summa EIUS totiusque IMPERIALIS DOMUS salute atque Imperio bono fausto felici fortunatoque piissima vota nuncupo, NUMEN EIUS adoratione haud vulgari dignissimum religioso quocunque cultu

prosequuturus. TE, ILLUSTRISSIME COMES, supplex precor, ita existimes, gratias, quas TIBI rei literariae STATORI et AMPLIATORI MAXIMO agere nequeo, aeternum me eſſe habiturum, neque in omni admiratorum clientumque numero, quem TIBI quotidie benefaciendo collegisti fere infinitum fore quenquam, cui in TE TUOque ILLUSTRISSIMO NOMINE admirando colendo venerando ac celebrando unquam cedam, in eoque non ſolum pietatis religionem ſed insignem quoque gloriae fructum mihi propositum esse

ILLUSTRISSIMI TUI NOMINIS

Scrib. Lipsiae d. 8. Octobris
CIƆIƆCCLVI.

Cultor obsequentissimus
Carolus Christianus Krause

2v

ILLUSTRISSIMO DOMINO

DOMINO CYRILLO COMITI A RASUMOWSKI

Praepotenti minoris Russiae Hetmanno, S. Imperialis Russicae Maiestatis Camerario Ordinario, Legionis Praetorianae Ismailowicae Protribuno, Academiae Imperialis Petropolitanae Praesidi, Ordinum Equestrium S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri et S. Annae Equiti etc.

DOMINO INDULGENTISSIMO.

[illegible]